

tionis, nobis opem ferat, verum etiam temporali potentia et exercitu, sicut prædecessor eius nobis promisit, quia, spe inducti, nos maximas copias contra hostes Ecclesiæ comparavimus et inextimabilem pecuniam consumpsimus. Quarum rerum Sanctitas eius, ut speramus, cum humanissima, prudentissima et nobilissima sit, immemor non erit, sed quicquid prædecessor ejus nobis promisit, persolvat. Ad quod dominatio vestra reverendissima quam prudentissime poterit Sanctitatem eius commoneat, volumusque quod petat confirmationem omnium bullarum quas nobis contra hostes Ecclesiæ dedit, et reformationem quarumdam quæ nobis non satisfaciunt. Inter alia, Sanctitatem eius supplicamus ut interdictum regni Scotiæ non removeat. Nos nuper intelleximus ex iis qui digni sunt et quibus fides adhibetur, scismaticos totis in rebus laborare ut cum Sanctissimo Domino nostro reconcilientur et ad dignitates suas restituantur, quod si consequerentur, Sanctissimo Domino Nostro, nostri sententia maximo dedecore afficeretur, si tam repenter in gratiam cum eo redirent, et ad dignitates suas restituerentur qui tam detestabile scisma concitarunt et continuarunt in toto orbe christiano.

- Præterea, si Sanctitas eius istos scismaticos agnoscerit, magnam occasionem aliis seditiosis cardinalibus præberet ad idem contra personam suam facinus perpetrandum, quando auderent tam impium et detestabile scelus impunitum relinqui. Tertio, si hiis ita veniam dabit, confederatis suis plurimum detrahetur et omnibus bonis christianis nimium profligandi scismatis curantibus tolleretur, quando videbunt scisma ab illo quem maxime tangit non puniri. Ut dicamus in summa, quamvis ista reconciliatio appareat quibusdam plenam humanitatis et misericordiæ ex parte Domini Nostri Sanctissimi, tamen cum
- Sanctitas eius mortalis sit et unius ex istis scismaticis, si restituerentur, posset ita fortuna volente Summum Pontificatum assequi post eius quam Deus avertat mortem, qui sine dubio Gallorum regi faveret et omnia ad eius nutum faceret in extremum damnum et præiudicium omnium principum qui detestabile scisma extinguere et extradicare studuerunt, necessarium est ut Sanctitas eius omni diligentia atque prudentia hanc rem consideret et examinet, neque eis consentiat vel proficiat priusque cum aliis principibus christianis suis et Ecclesiæ confederatis eam communicet, præsertim cum Sanctitas sua, per capitula fœderis sanctissimi, obligata sit cum nullo principe pacem componere qui sanctissimæ ligæ inimicus fuerit. Quorum numero sunt scismatici,

imo primi, ad quorum exterminationem sanctissima confederatio inita fuit. Nuper intelleximus Scotorum regem, cum intellexisset interdictum regni sui a Papa Julio nobis concessum fuisse, Romam per Gallias decrevisse mittere episcopum Muraviensem, non solum ut impediret impetrationem executorialium præfati interdicti, verum etiam ageret cum Sanctissimo Domino nostro Papa Leone ut confirmationem novam huius interdicti nobis negaret. Huic igitur rei dominatio vestra reverendissima provideat. Nos censuras contra illum numquam publicari volumus priusquam aperte, contra promissionem et iuramentum suum, pacem nobiscum frangat, sicut ratio, leges et justitia postulant. Præfatus Scotorum rex nuper iis verbis usus est decano Wyndesoriensi nostro apud eum oratori: « Ego appellabo ab istis executorialibus ». Tunc orator noster respondit: Illum appellare non posse a processibus Papæ, qui neminem superiorem habet. Tunc ille: « Appellabo, inquit, ad Petrum Joannem Pyratham et apostatam præfatum Regis gallorum » et multis aliis derisoriiis verbis usus est contra auctoritatem Sanctissimi Domini Nostri. Quæ stulticia ut nobis videtur castiganda est, cum inhonestum sit et impium Summi Pontificis religionis nostræ capitis turpiter obloqui. Præterea dixit; se nolle obedientiam Papæ præstare si faceret aliquem processum contra ipsum nobiscum pacem frangentem; et alia superba et arrogantia verba addidit, sicut facere solet. Accepimus exemplum litterarum dicti regis Scotorum quas misit ad sacrum cardinalium Collegium, quibus exhortatur illos ad universalem pacem inter christianos componendam, præterea nos accusat quod transitum negaverimus omnibus suis in Galliam missis ad eandem pacem tractandam. Imputat etiam nobis quod cum ipse ad nos misisset breve Julii Papæ mortui sibi scriptum de pace tractanda, nos affirmavimus præfatum Papam sententiam mutasse in illa re, cum aliis speciosis et coloratis persuasionibus, volens Regi gallorum magis succurrere quam reipublicæ christianæ vel aliquam expeditionem contra infideles preparare, quam ipse facere neque vult, neque potest si vellet. Licet hæc omnia vana sint, volumus tamen, dominatio vestra reverendissima illis respondeat ut sediciosa obloqui tollantur. Post conflictum Ravennæ commissum, Papa Julius reductus in angustias scripsit omnibus principibus christianis de pace ineunda; sed cum consideraret per talem pacem Gallum vires suas reficere posse et in Italiam infestis armis in maximum Ecclesiæ damnum redire; cum præ-